sint. Sed nemo facilè se miserum credit, licet sit,
donec se cum feliciore comparaverit: itaque ceterorum
miserorum hominum conditionem statumque investigare ac
perquirere necesse est. Et in primis initium sumamus
ab iis qui maria sulcant et nauticam profitentur, quot
quaeso pericula dies noctesque perpetiuntur? quod eorum
domus et habitaculum, nisi putridus, squallidus et angustus
carcer? qualis ratio vitae eorum? cuiusmodi sunt vesti-
menta, nisi imbrium spongia? sunt semper errones et ex-
ules perpetui absque requie aliqua; ventis, pluviis, gran-
dine et minibus caeli, imò omnibus caeli iniuriis ex-
positi vitam periculis plenam transigunt, ut meritò qui-
dam è veteri lyceo philosophus pronuntiaverit, tribus dun-
taxat digitis à morte eosdem distare, scilicet pro cras-
sitie spissitateque tabularum, in quibus navigarent.
Sed si horum vitam miserabilem quidem ut videtur, cum
vita eorum qui oculis orbati sunt, comparare licet, non
miseriam sed meram felicitatem illam diceremus. Quae enim
vita caecorum? quam misera, quàm dura, quàm pericu-
lis plena? nullum sine periculo pedem securè figunt.

License: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. f.%20182r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/en/zbz/D0147/f.%20182r)